Koryciński Albertus
Archiepiscopus Leopoliensis

Dumin Piotr St.

Leopoliensis Coll. Soc. Jesu: Leo Roxolanus —

LEO ROXOLANUS

Gentilitiâ Asciâ

ILLUSTRISSIMI Ac REVERENDISSIMI Dñi

D. ALBERTI

à Pilca

KORYCINSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS

PRÆPOSITI GENERALIS MIECHOVIENSIS

Sub primum & auspicatum Cathedræ

INGRESSUM

ORNATUS & ARMATUS.

E Voto & plausu Collegii Leopolien:


SOCIETATIS IESU.

Anno VICTORIS in AGNO LEONIS CHRISTI

M. DC. LXX.

LEOPOLI. Typis Collegij Societatis IESV.

In Arma
Illustrissimæ Domus
KORYCINSCIANÆ.



Alex. ab Alex. L. 1. c. 28.

Olim Sceptra dedit felicibus ASCIA *Lydis*
ASCIA *Tennediæ Numine nota plagæ.*
Nunc KORYCINIIS *Patrio pro Stemmate fulget.*
Ergo Regalem Stemmate nosco Domum.

ILLV-

ILLVSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME
ARCHIPRÆSVL.

AD auspicatissimum Vrbis & Cathedræ Ingressû, Leonem Roxolanum Tuæ Celsitudinis excimus in Pompam ILLVSRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE. Quidenim convenientius Sacro Herculi occurrisset? ASCIA Tuæ Celsitudinis securus non perculsus, Amoris Spolio cedit sua sponte. an potiùs Vellere Aureo quia ex Ovibus Tuis est. Quanta porro Numinis Potestatisq;. Tuæ Vis! Leonem vix aspexisti & Agnum vides desideratissimi Adventus Tui gaudio subsultantem. Nostræ tamen Societati solennior incumbit lætitia. Nempe qui Beatissimo Parenti Nostro IGNATIO adstrinxit Nos Affectus, idem Tuæ Celsitudini vltra communes Pastoralis Observantiæ leges, amorem nostrum fecit vectigalem. Meminisse Patris non possumus Filii, quin gratæ in æternitatem menti occurratis ILLVSTRISSIMI KORYCINII. Stat basilicum affectûs & beneficentiæ Vestræ monimentum, peraugustum illud Sacrarium quòd DIVO IGNATIO apparatu Magnifico erexistis Cracoviæ Nouam gratiis admensi gratiam Hereditarium Illustris. Domûs Vestræ Mausoleum. Erudientur impolita etiam saxa ad gratitudinem, loquentur non omnino muta Nepoti Mundo. Nomen KORYCINIVM Vestris inscripta Titulis, ASCIIS insignita. Marmor deniq; ipsum Domus Vestræ laudibus insudabit. In primis verò Illustrissimi Fratris Tui Magni Poloniæ Cancellarii, cuius etiam posthumæ liberalitati Proto-Martyr STEPHANVS refert in acceptis, quòd Laureatum Caput ruderibus ac pæne silvis extulerit augustiusve cœperit habitare. Accedit inclytus Iaponiæ Martyr? nobis quidem Religionis Societate Frater, Tibi iure magni Sangvinis Avunculus Gloriosissimus inquam ALBERTVS MECINSKI, Vir & hausto à Maioribus Sanguine & fuso liberaliter pro Deo Maximo Illustrissimus: qui Nangazachi post tetros septem

ptem Mensium carceres & quotidianas fere carnificinas, post inauditos per aquas cruciatus (quos acre crudelitatis ingenium excogitârat) fortiter superatos, ad unicè vereq; Fortunatas Beatæ æternitatis Insulas sui Profluente Sangvinis felicissimè adnatavit. Vide Archipræsul Illustrissime quot & quantis Nominibus Tui simus, quàm arcto nexu, vt alia deessent, Tibi nos adstringat vel vnus MECINSKI omnibus Elementis in Iapone oppugnatus, nullo Victus. Atq; hoc est quod fecit animos-Ingenio ad Laudes Tuas trepidanti, & iacens in eam erexit audaciam vt supra vires conatu assurgeret. Grandia Tuorum ac Tua Decora tenuiter moliri elegimus, sentiendo copiosiùs quàm loquendo; Plura ausuri nisi a moderatione Tua, sola Panegyrici mediocritate impetrari posse confidenter præsumeremus ne respueres. Exquiratur ab aliis ratio, nos obsequii Studium excusabit. Non imus inficias levidense Munus præsentari a nobis, quod in Elogiis Historica simplicitate planum magis est quàm acutum: sed a Gravitate Tua pondus, gratiam a Comitate, a Patritio Ferro acumen, ab Tui amænitate ingenii sales accipiet. Triumphali KORYCINSCIORVM ASCIÆ debet impar Laudator, quòd sua tenuitate victus non succubuerit aut hæserit in limine: cuius illa est Prærogativa singularis, *Ex obvio quouis Ligno fingere dareq; Mercurios* Materiæ felicis ingenio acutos & eloquẽtes. Nec plura. Summam votorum tenuimus, si nostris etiam auctior factus Annis diu Ecclesiæ diu Reipub: diu Inclytæ Vrbi, diu Nobis Tibi devinctissimis vivas; siq; cætera exilis Tuo duntaxat & Tuorum Nominibus magna Panegyris, Oculis & Manibus Archipræsuleis benevolè admissa Consecretur. Ita Vovet ita precatur

ILLVSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ

Celsitudinis Tuæ

Observantissima

SOCIETAS IESV

Collegii Leopoliensis.

Romuleas Orbis, Dominas vastoq; potentes
Oceano, terraq; super, dum ferrea victis
Iura dabant populis formidatumq; Tyrannis
Nomen, & antiquas ad Sidera ferre Secures
Mitto. KORICINII Lechico micat aurea Cælo
ASCIA, quæ nostræ posuit Cunabula Genti
Inq; PALATINIS resplenduit ASCIA SCEPTRIS. *Vnus ex 12. Pala: fuit Toporz Biel-scius.*
Hæc noua Sarmatico fixit Capitolia Campo
Quæ Regina potens LIBERTAS læta teneret
Vsq; hodie nulli Fatorum obiecta ruinæ.
Quæ poterāt Orbē sua sub iuga mittere FASCES
Non poterant fortē Lechiā cōtraq; SECVRES
Ausonidum, satis vna fuit, satis ASCIA Lechi.
Macte nouis LEO præsidiis cūi omine fausto
Et decus & robur magno cum PRÆSVLE venit
Armis te Patriis KORICINSCIVS Ornat & Armat.

ERGO ASSVRGE GRADIVI DOMVS RVSSIA
Is tibi desolatæ obtigit ARCHIPRÆSVL
Qui ruinas solari tuas & velit, & possit erigere,
A vetere Stoici censura & illis eximius
Apud quos: *Nolle in causa est, non posse prætenditur.* *Seneca.*
Acutum & actuosum KORYCINIÆ SECVRIS ferrum

In hoc duntaxat hebes
Quòd à tot retro seculis non didicerit feriari.
Divinitatis æmulam ut agnoscas
Bono omnium unicè impensa
Alienæ potissimum laborare amat felicitati.
Acuitur opere non hebescit.
Nihil illam fatigat magis quàm otium.
Peruetusta sed rubiginis expers,
Rubedinem in illa si aduertis
Hanc illi adspersit cruor barbarorum.
Si conniues ad splendorem?
Noveris *longo* præclarè factorum *splendescentem ab usu*
Non illi tota *Lau ab origine sola*.
Fatis tamen sit illustrior an Factis iure ambigas.
Tanta illi claritas ex vtroq;.
Spectas lucem hanc Leo Roxolane & gaudes!
An enim innutritus bellis
Assuetam ignibus palpebram, ab limatissima ASCIA reflecteres?
Haud lædet eius acies tuorum aciem oculorum
Hostes solos perstringit.
Monerem ut novæ Fortunæ assurgeres & tu Leopolis
Nisi tua mihi, Tibi sua constaret semper Fortitudo.
Leonem Tuum, depressum nunquam vidit orbis.
Incubuêre illi vastæ bellorum moles
At Fidem & Virtutem non inclinârunt
Quin omni fortuna superior staret erectus quia Leo.
Stetisti Thesea fide, tuo robore immobilis
Vbi reliquæ Vrbes ad hostis pedes procubuerunt
Eò fædiùs quòd vix impulsæ.
Heu! Quot metu suo magis priusve quàm machinis concussæ
Ruebant in deditionem non inclinabant
Tu nec titubasti.
Norint sanè cui seruiant Leones.

Tu nullius

Tu nullius iugo commodasti armos
Nam quis spoliis Tuis Hercules superbiit?
Suetici, Moschovitæ, Tauricani, Krimenses, Zaporovien: Alcidæ
Exuvias ambire tuas poterant non induere.
Illorum barbaram ne metuas clavam
KORYCINSCIANA ASCIA providebit,
Quæ Patriæ Lauros cædere toties potuit
Eadem hostibus exscindet cupressos
Ex quibus Gloriæ & securitati Tuæ novum surget Capitolium.
Aperta posthac palpebra vtne dormias Vigil Leo
Strictæ in Tuam securitatē Vigilātissimi Pastoris Secures efficient.
Stabunt contra te hostes
(Quibus diuturna felicitas & Virtus semper obnoxia)
Verùm ex oraculi Divini Auctoritate
Obstātia quævis in SECVRI & ASCIA deiicies Psal. 71.
KORYCINSCIANA.

EXordiri aliunde laudes Tuas hoc est felicitatem nostram nec potuimus nec debuimus ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME ARCHIPRÆSVL, præter quam à faustis ominibus meliùs sperantis & Tui honoris fastigio supra suos montes erigentis se se Leonis Roxolani: qui coronatum se non crederet absq́, Pontificio Tui Capitis diademate. Et verò vix illud in Tuum pridem emeritum diutius exambitum verticem virtus & honor deposuit, simul illius vota, simul inchoata omnium nostrum gaudia coronavit. Impleveras famâ proximâ Antistes Camenecensis Vrbem nostram, ac post luctuosum ab humanis Illustrissimi ac Reuerendissimi IOANNIS TARNOWSKI decessum, primus orbatæ Archidiœcesi, Sacroq́, Cathedralis Collegij Senatui succurrebas, dolentissimo Leopoleos animo designabaris primus, non postremum imò Princeps tantæq́, orbitati par solatium. Non facilè alius dolorem nostrũ exhausisset, siccasset lacrymas nisi Tu quo vel in votis habito, iam non sentiebamus Patrem nos amisisse. Hoc enim solenne habent magnis cladibus pares luctus, vt modum lugendi non habeant, quem rarò ponunt remedia nisi

maxima sint. Per intempestiuũ illud Florilegium quod in una Tarnoviorum Rosa peractum est, tametsi languentes doloris æstu animos recrearet flos successus (nam Et decerptus odorẽ dedit dabitq;) gravis tamen nobis accidit, quem cum viva sui memoria simul halat, odor mortis. Ergo post subductos oculis, ac sepulchrali terra obrutos vomeres, qui Rosam spinarum loco fortiùs armaverant, ad Tuas respectabamus SECVRES, illas votis anhelis prensabamus animo tenebamus, tam diu multum soliciti parum Securi donec Armis Illustrissimæ Domûs Tuæ ornaremur domi; foris armaremur hìc ad præsidium, illic ad Magnificentiam & splendorem. Interim reputabamus nobiscum : Quis tandem ille Præsul afflictas res nostras solabitur? Quem ovibus, Leonibus pænè dixeram, Superi destinastis Pastorem. Et cùm optimum quemq; cogitaremus, Tu in mentem veniebas, in quo redire nobis videbantur prisca illa Virtutum an Pontificum Nomina, quorum dotes felici compendio collegisti. Vivit in Te vigetq; erudita Demetrij Solicovij pietas Viri de omni hominum genere meritissimi cuius facta immortalia eam sibi æternitatem vendicabant, vt serò crederemus extitisse mortalem. Quid? experrecta Pruchniciorum Vigilantia? agendi vigor, cura boni publici indefessa, Quæ Senatoria Magni KROSNOWSKI gravitas, prûdentia, humanitas : GROCHOVII magnanimitas, quã pulchro in Te fœdere sociantur. Floret deniq; in Te amabilis illa Tarnovij Comitas, mira ad omnes æque citra supercilium ac gravitatis detrimentum facilitas, vultusq; gratiis insessus, qui apud nimis Religiosam antiquitatem Deorum iurgia posset componere. Reliqua mentis Tuæ decora vt taceat calamus, vt sui obtegens celet modestia, sua se produnt magnitudine & impetrant admirationẽ non extorquent. Hinc si ad rigidum Momi votum penitiora cordis arcana humanis paterent obtutibus, illud ego ante omnia nosse vellem, Quis tibi tunc ô Camenecum animus fuit? quis sensus? cùm fama tenuis primùm ut fit, & incerta aures tuas pulsaret. percelleret animum, cum Te Pontificem habere quem non multo post sis desideratura. Tolerabilius iudicabas experimentum eius Tibi quàm ampliorem usum negari. Tardam fidem ingratus amori rumor apud te inveniebat (plerumq; enim difficilè credimus, quod non optabamus, evenisse) infixus tamen pectori hæsit dolor nec incertitudine cura subsedit, quin erumperes in querelam : Ideone Te mihi Præsul fauentes dedêre superi, vt auferrent? Heu brevem Pastoris boni vsuram. Propè est vt deplorem fortunam meam & doleam habuisse, si bienni usu cognitæ felicitatis absentia, tantùm erat mæroris allatura quantùm præsentia pepererat voluptatis. Favete si irata estis Numina & secundo iactu faustior nobis cadat alea. Fave beneficijs Tuis Cœlum, quemq; dedisti nobis Præsulem, si æternus esse non potest

concede

concede diuturnum. Sed ea fuit virtutis Tuæ magnitudo, ut non minus gaudij excitaret de Te habito, quàm spei adimeret de retinendo. Cui enim magna simul bona contigerunt & diuturna? hæc è suæ genio naturæ, ad plures transferri, plures reddere felices debent, ne non communicata minora videantur suo nomine. Augusta certè in Patriam Tua promerita unius Diœceseos angustias exosa, latiorem campum requirebant, in quo Tuæ Virtutis industria Pastoralis, si necdum par, maius tamen sortita theatrum, plurium emolumento desudaret. Quanquam Tu solis in morem, ita novam altioremve occupas stationem, vt primam serenare non desistas, imovero collectis ceu in Auge radijs, liberalius & latius prouectam in sublime spargas lucem, Macte Tua felicitate orbata, quamvis tanto Pastore Podolia.

Et mæstum gemitu pectus, & hispidis Sarbien. L. 1. c. 2.
Frontem nubibus expedi.

Lucis KORYCINSCIANÆ usu carere non potes, quæ potestatis Archipræsuleæ comples Horizontem, Tantus nempe es Illustrissime ac Reverendissime Antistes, vt Podoliæ Sol alioqui aureus, ab Tuæ lucis ærario queat ditescere, hoc vnico acerbam Tui iacturam solatus, quòd Te sic amiserit, vt recuperet Auctiorē, nec extra Tuum Cælum habeat numerari. Nostro tamen Leoni iustioribus gaudiis incedendum, cui vt primum ex eminentibus Vavelli iugis, ore Serenissimi MICHAELIS Nominatus Archipræsul effulsisti, à primo vel Nominatæ dignitatis Tuæ exortu, clarior lux oriri visa ac diffundi augustiore radiorum serenitate Leoburgicorum Montium vertices collustrari, spes publicas malorum pertinaciâ prostratas efferri, ut non vano ex ASCIA Tua futuræ felicitatis præsagio, ita condigno Nominis Tui elogio. Illa nimirum vera magnorum laus est, quam plurium commendat felicitas. Hæc ad consequentem posteritatis memoriam solida commendatio, quæ sibi & suæ æternitati suffecturum boni publici fundamentum ponit. Vnus honos onus omnium est, si primo veniens iacentes desperatione animos non erigit obscuri luce ipsâ Illustrissimorum tituli, qui ex oriente suo, Patriæ sudum non promittunt, aut quod luctuosius est, reliquam melioris spei scintillam extingvunt ubi accendere debuissent. Alia sors nostra cui est vnde impensius gratulemur Primas inter Pontificiæ benignitatis gratias, hanc censemus quod metu hoc nos planè absoluas Archipræsul Indulgentissime, Vix enim terras Archidiœceseos Tuæ tam citò tetigisti, quàm illæ spem & vires sibi cum Pastorali vestigio sensere impressas. Nunc demum è merito æstimare incipimus, quo tamdiu per inclementia nobis & Orbi Catholico Clementis IX fata caruimus. Extinctum SIDVS OLORVM desideratissimam præsentiæ Tuæ lucem Roxiaco Cælo subduxerat; vt

C præci-

præcipitatis in mærorem animis noctē induceret, verùm ex irrequieto Tui desiderio inquietam, solaq; adventus Tui aurora dissipandam. Quot nobis dies, quot noctes in Tua imagine abierunt? dum optatos vultus eminus interim formamus, quibus cōminus expleri gestiebamus. Exercuit nos immoderatiùs spes, & expectatio diuturna afflixit impatiētiùs. quia post spem, desiderium vnius in animis vnius in ore omnium indulgentia Patris, cælo secunda potestate Archiantistitis ALBERTI KORYCINSKI. Sed excellens bonum quemadmodum merita magnitudine sua transcendit, ita diuturnioris paulum exspectationis pretio constare debuit, & liquere palàm, Te oblato Honori dedisse Honorem, cum tandem admisisti. Gavisus es credo non mediocriter, prorogati temporis dispendia modestiæ Tuæ impē dijs laborasse. Quin Orbis compendium Roma dum occulto fatorum decreto mora tibi est, Amor esse incepit. Non erat periculum ne prælustri Honorum in domo genitus ad dignitatum Augustale errares, aut quærere opus haberes, qui noveras ab illis plerumq; solicitiùs prensari honores, quos repellunt, de suo etiam Nomine apud huiusmodi Candidatos vix securi. Enimverò honor apud immeritum collocatus nomen suum pænè amittit, erubescit in purpura impares humeros ambiente, pallet in suo theatro minoribus Cādidatis, timetq; teneri ab his in quos impegisset, non invenisset. Superbus quamvis naturâ videatur, gaudet nihilominus sui contēptu, atq; ita modesta fugientium vestigia passu individuo adurget, vt assequatur, observat vt adoret renuentium comes pertinax. Miseret me illorum qui meritorum vacui solis maiorum Ceris aut veriùs alis cereis subvecti evolare contendunt in sublime. Tales Iratum Numen dum attollit subiectorum capitibus ictum intentat, minatur casum, qui omnes feriat, neminem ferat illis alis, quæ in vitium duntaxat cereæ flecti cum tempore defluunt. Hos ego Phaetontas novos dixerim, qui in honorum ambitu *poenam pro munere poscunt* famæ domesticæ infames bustuarii. Hos dignitatis apex prodit minores, & sublimes tituli conspectiorem faciunt eorum indignitatem. Ascendisse tales vix agnoscas meliùs quàm ex casu. In alto stetisse sola ostendit ruina, luxisse in sublimi sola probat ingens vmbra, quam indignis facinoribus proiecerunt. Non essent plures solis filii vmbræ, non exundarent in Patriam tot Erydani lacrymarum. Conqueri tantisper volui de immeritis, eò securiùs quia coram Te Archipræsul meritissime, qui non minus à pervetustis Maiorum ceris, quàm à meritorum luce alios ex alijs honores Illustrissimæ Domûi Tuæ accendis. Hæc antequam delibem, nam omnia ad calculum revocare multos lassaret Arithmeticos, permittes in Illustrissimæ Domus Tuæ penetralia paulisper concedere. Ecce verò vix Laureatos postes reverenti planta contingo, cùm subsistere cogor adstupe-

adstupescens & incertus animi quâ prius imagine avidos expleam oculos, qui omnibus Illustrissimæ Domus Tuæ luminibus non sufficiunt, & dum alterna cupiditate omnes demirantur, nullum satis videre possunt. Dubitare succurrit: An occiderint immortalia hæc Poloni Cæli sidera, quæ ab occasu lucem intendunt. Vnus totam absorbes palpebram Illustrissime ANDREA Comes in Pilca Palatine Cracov: cuius nec manum nec animum Patria desideravit vnquam, ac ne post fata etiam desideraret, in OTTONE Palatino, IANVSSIO Castellano Sendomir: SENDIVOGIO Pincerna Cracovien: perbeato filiorum ternione superstes providisti. Quantus es Illustrissime IOANNES KORYCINSKI Castellane Sendom: cuius Senatoriam purpuram vt rarior ita pretiosior virtutis succus non Tyrius Sidoniusve labor imbuerat, vel quod pridem meritos serò amicierit humeros erubuit seipsam. Tu quoq, pari facilitate nunc feris oculum ac olim hostem Illustrissima ALBERTI KORYCINSKI vmbra, serius Tartarorum Moldavorumq, terror, quos toties in salutem publicā exanimasti. *Consilio Dux manu miles,* *Velle. ius Patercul.*
Geminat lucē Tuā ille Martis amor ac deliciæ STANISLAVS, qui non ruitur laudis omen cum accepisset in Nomine triumphali semper ferro illud suffulsit & barbaricorum acervo cadaverum, pervagatus non tam passibus quàm victorijs fines Tartaricos, post vindicatos in libertatem Nobiles Captivos, & Talionis lege abductos in captivitatem plurimos hostium, cùm sæpiùs antè triumphâsset etiam incredibili Getarum multitudine obrutus, fortitudine quæ capto eripi non potest triumphavit. Venit enim in potestatem hostium, sed animo in quem vincula non cadunt hostibus superior: tenebatur vnus & adhuc ab omnibus timebatur, vt necesse fuerit aureum illud caput ferro demetere terris suis transmittendum. Parciùs triumphassent Galli expugnato Romæ Capitolio, quàm tota Barbaria de unius KORYCINSKI capite, quod vnicum pluribus Capitolijs prætulisset. Olim caput Latiis repertum in fundamentis æternitati Romanæ initium dedit, Vestræ laudis Illustrissimi KORYCINSCII novam perennitatem Fraternum caput (vt alia abessent) fundavit in solo soleq, alieno, quia par erat nomen KORYCINIVM per ora volitare peregrina, quod domesticus Poloni Imperij oras latè implêsset excederetve. Et tu quidem inclytè Heros cadere potuisti, non vinci, minui capite, at non Lauru. Magnorum quippe iusta prœmiatrix Fama etiam deiecta cervice reperit quod coronaret duraturo in longum serto, quod ipsa Tibi orbe suo vel facit vel porrigit æternitas. Renovarem hic magni Æneæ vetus votum, vestramq, Poloni paulùm immutato carmine appellarem fortitudinem.

Æn. L. 4. *Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor*
Qui face Tartaricos, ferroq; sequare Nepotes
Nunc, olim quocunq; dabunt se tempore vires.

SEd nec Polonia suis Amilcaribus caret, nec ab his desiderantur Annibales, qui ad Sacras maiorum aras, iurant & faciunt in perniciem Tartarorum, Domus imprimis vestra cuius adhuc tero limina adoro Lumina & soles ipso occasu oriētes, quot numerat filios tot viros vtraq; Pallade ornatissimos, In quibus recensendis perexigua me circumstat solicitudo, ne nimius maximè, ne sim infinitus, ita arduum est vel cogitatione obire singulos, quin universos? Inveniam proinde ad sacrum Clementiæ Tuæ Tribunal non difficilē veniam, si laudatis iam Nominibus pauciores accensuero, Historico quàm Oratori similior. Prodere illos est animus non prædicare, procul ab illorum consvetudine, qui in Heroum laudibus votum commodant, non Historiam, cum dicunt non quales sint, sed quales esse deberent. Pro sui munere Officii ducat Heroum agmen.

IOANNES à Pilca KORYCINSKI.
Castellanus Siradiensis.

Exeste Ad Hvivs Lvcem

Quotquot sola Magni Nominis vmbra sequitur.
Titulorùm divites, rerum inanes.

Ioannes Korycinski.

Gratiosi Nominis mēsurā vsq; adeô implevit
Vt etiam redundaret liberaliter in Commune
In omnes profusus, nec Patriam à suis gratiis voluit eximiam
Cui iuvandæ nec operam negavit vnquam nec opes.
In acceptis referens quidquid ei dedisset.
Rarum enimverò augendarum inventum fortunarum
Per consultam elargitionem quæ comitem non habet pænitentiam.
Non servantur Fortunæ felicius quàm dum sic amittuntur.

Subitæ largitionis Comes Pœnitentia. Senec.

Accipe Oraculum Apollinis

Mart. *Quas dederis solas semper habebis opes,*
Vt porro suis in Patriam promeritis adderet perpetuitatē, dedit ei Filiū
Non tam vt viveret Pater in succedentium turba Nepotum
Quàm ne mortuus cessaret à meritis

Vixisti

Vixisti heu? imò vivis etiamnum IOANNES
Cuius & vivere & mori mereri fuit de Republica.

IANVSSIVS KORYCINSKI
Castellanus Zavichostensis, Capitaneus
Brzeznicensis.

HEROIS FILIVS SED NON NOXA.
Paræmiam veterem novo confutavit argumento.
Paternis insistens vestigiis maluit causæ suæ quàm publicæ deesse.
In Podolia, Lithvania, Prussia Copiarum Præfectus
Decem lustra illustrando armorum luce Nomini Polono impendit.
Hostium quicunq; se obiecissent victor
Romanos etiam superavit — *Senec. de brev. vita.*
Apud quos lex à quinquagesimo anno Militem non cogit
A Sexagesimo Senatorem non citat.
Quæ *decem annorum stipendia in Candidatis* requirebat — *Plutar.*
Post quinquaginta annorũ Martios labores
Quos illi Roma decrevisset honores non invenisset.

ALBERTVS KORYCINSKI
PALATINVS LANCICIENSIS.

Pluribus honor est immaturus
Sed nec pauciores honoribus immaturi.
Maturuisse hunc vel ex purpura collige Senatoria
Et quidni maturesceret solem ac pulverem bibens,
Quem doctis sudoribus in Curia, hostili tabo permistum in Campo
Saluti publicæ propinavit.
Triariæ Virtuti luculentum constat testimonium
A TRIPLICI PRÆFECTVRA.
Pro eius meritis stat etiam Arx Przedecen: à fundamentis erecta
Et dum stabit, Nomen eius tutabitur.

D Quan-

Quantus posteritatis amor?
Non licebit tandem per fatum inevitabile opponere latera pro Republica
Opponam inquit lateres.
Opposuit. tot Memnones habiturus quot lapides.
Quanquã pro mille Memnonibus, unus illi sufficit SIGISMVNDVS I.
Qui insigni Literarum Privilegio eius merita dilaudavit.
Non vulgaris Virtus Regio debuit calamo commendari.
Absiste iners penna
Elogium illi maius scribere ne attentes
Rex mundum suo Nomine complexus intercedit
SIGISMVNDVS.

NICOLAVS KORYCINSKI
CASTELLANVS ZAVICHOSTENSIS.

Turcarum Victor in Vngaria futurus
Grandibus triumphis parvus in cunis prolusit Ascanius.
NICOLAI Nomen accepit
Quod, si Græcis credimus, à victoria non abludit.
Primum eius rudimentum posuit annis rudibus simul & excultis
Cùm Pueritiam maturæ virtutis obiectu superavit.
Iurares tenerioris plantæ robur seculare
Quod fructuum copia non fregit
Bene tamen inclinavit sed ad modestiam.
Miraculo par ubi omnia ad fastum erigunt non extolli.
Haud securus magnitudinis suæ vel habet imaginariam
Qui eam submittere metuit.
Vnam in Te adverto elationem Victoriosissime NICOLAE
Cadaveribus Othomanidarum in tumulos porrectis
Polonum simul & Tuum Nomen extulisti (invenit.
Vir cui Tuo ævo parem (*ex Religiosa Historicorum fide loquor*) Polonia non
Concessit tandẽ Magnus ad maiores suos
A quorum Virtute quo ad vixit non recesserat.

NICO-

NICOLAVS KORYCINSKI
Serenissim: AVGVSTI & STEPHANI
Regum Polon: Aulicus

Ab Aula sua honores expediit
Veriùs non admisit
Omnium capax, dignus omnibus
Nullum etiam ultro oblatum non recusavit
Meruisse contentus quod summi honoris est,
Nempè feliciores sunt qui merentur & non habent
Illis, qui habent & non merentur.
Animi dives, opum non indigus
Regni Thesaurum suis sese manibus ingerentem constanter aspernatus
Virtutis suæ pretium ab Auri contemptu intendit.
Tunc demum liber cùm ei Regina Pecunia non imperaret.
Invertisti rerum ordinem Ordinum Regni anima NICOLAE
Honorem fecisti Candidatum qui Candidatos faciebat.
Quæruntur passim honores, Te quærunt
Tenentq; arctiùs dum non apprehenderunt.
Ad difficillima tamen negotia vocatus à STEPHANO Rege
Vota eius felici vt plurimum exitu coronâsti
Nec vnquam excusasti operam
Ne onus, in honore fugisse videreris,
Laborum provinciam Tibi relinquens aliis præmia.
Nunquam otiosus
Semel quievit septuagenario maior
Annorum plenus plenissimus meritorum.
Titulos quæris Sepulchrales?
PONE QUOS LVBET.
Tenuit omnes, quos manu-misit.

Christophorvs Korycinski Castellanus Woynicensis Capitaneus Gnievcoviensis.

Minor eras Heros maxime
Nisi Regis & Regni Personam Magnus Legatus ferres.
Tulisti, ac quod operosiùs est implevisti. (tione
CHRISTIANVM Saxoniæ, Fridericum Brandeburg. lectissima Ora-
PHILIPPVM III. Hispaniarum Regem oris ac pompæ Maiestate
MATTHIAM Romanorū Imperatorē vtroq; in admiratione rapuisti
Extra Poloniæ limites sæpius extra decori nunquam progressus.
Ad fastidium superstitiosa antiquitas
In ore Tuo Suadelam Deam collocasset
Tam facilè omnia è Republica persvadere
Aliis solēne Tibi ex usu quotidiano fuit.
Anno 1606. Tenueris admiratione Exteros, Cives stupore facti domestici abripis
Civile bellum quod sub Sendomiriensi Comitio exarserat
Orationis flumine lacteus Orator restinxisti.
Quid agimus in Mutuam Cædem armata pectora!
Patriæ iugulum est quod petimus
Seu victores seu victi, ex æquo miseri.
Cic: in Epis. *Omnia nempe in bellis Civilibus misera, sed nihil miserius quàm ipsa victoria.*
Nunquam aliter gemina Romæ Polonia vinci potuit
Nisi vires suas ipsa secum committeret.
Magnitudini eius obruendæ nulla par moles nisi sua.
Aliûs Cæli populos notet isthæc labes .
. . . . *Videre Parentes*
Lucan. *Frontibus aduersis Fraternaq; cominus Arma*
Cognatasq; Acies
Cladibus propriis casibusq;
In miserabilem triumphum assurrecturas
Quem suorum nemo videat;
Vel si quis reliquus. cultu & vultu lacrymantis non Ovantis.

In ſumma. Ni cæptis desiſtamus
Impiata Caligulæ vota conſecravimus
Qui vnam Populo Romano cervicem vovebat.
Ruat in perniciem ſuam
Per ſecta ferro viſcera ſua
Inhoſpitalis plagæ bruta gens;
Certè POLONVM non eſt
Ruinâ publicâ malle proteri, quam ſuâ
Vel ſuâ etiam dum non ſolá.
Ceſsit ferrum Ori aureo ad mentem Regis, Regni vtilitatem
Ad Famam & dignitatem vtriuſq;
Merueras virtute Tua, Heroum fortunatiſsime vt Mors etiam Tibi cederet.
Cui nihil in vita ſe ſe oppoſuit quin illico ceſſerit
Niſi iniquum cælo videretur
Immortalium operum hominē divinum, inter mortales diutius ſupereſſe
Necte emerito Capiti grata Polonia tot Civicas quot Cives tunc ſervavit;
Aut ſi maiorem laudem minore compendio vis abſolvere
Servatoris Poloniæ titulos eius Marmori incide.
E vero Pater Patriæ eſt
Quam genuit, dum ab interitu vindicavit
Et ſua ſibi properantem Fata
Ceu iniecta manu inhibuit
ANDREAS KORYCINSKI
CASTELLANVS VISLICENSIS.
Singularis omnino Vir vel ideo quia non vnus.
Intra Patriæ fines
Eloquio & gravitate Senatoriā NESTOR.
Extra Patriam

Apparatissimarum dexteritate Legationum MERCVRIVS
In Regni Areopago incorruptissimus ARISTIDES.

Terrestre Numen dicerem
Nisi quòd Deputatus Iudex
Iratus vitiis, offenderetur muneribus
Ouidius. Quæ - - placent hominesq; Deosq;
Phoenicem in mundo Virtutem miraris
Imitare potiùs
Inter miracula ipse futurus
Si ultra admirationem vel vno gradu processeris.
Lubet hîc etiam exclamare
- - - *Felix Virtus*
Iugl. *Si pro admiratorum Numero, amores haberet.*

NICOLAVS KORYCINSKI Castellanus Sandecensis, Oycoviensis CAPITANEVS.

MAgnæ virtutes magnam merentur laudem minorê semper accipiunt,
Plurimis naturæ dotibus & animi ornatus, oneratus meritis
Gravis es Oratori NICOLAE;
Elevare stylum eo vsq, non possum vt Te attingam,
Omnis sublimitas eius infra vota sua, infra Tuum serpit fastigium.
Ergo solum Indicem rerum à Te laudabiliter gestarum Lectori porrigo,
Comentarios Laudis Famæ relinquo, aut Cæsari Oratori.
NICOLAVS KORYCINSKI
Ætatem Reipub: obsequiis mancipatam semel emancipavit nunquam.
Togam Sago, Sagum Togâ pro voto & necessitate Patriæ permutavit
Pari vtrumq; felicitate vtrobiq;.
Prima militiæ rudimenta posuit Victoriam Chocimensem
Minore, quàm pro hostium multitudine, theatro;
In quo Orbis terror, Europæ datus in fabulam Osmanus
Auctore DEO, actore Polono
Non sine iucundo Fortunæ volucris Intermedio.
Miles

Miles, Iudex, Senator, Legatus
Quo meliorem Vota etiam non fingent
Si debes multum VLADISLAO IV. Polonia
Vide quantùm debeas, KORYCINIO
Cui debes VLADISLAVM
Nempe pro deferenda sibi Corona
Ab eodem Principe dilectus Orator
Ad Electorale Nobilitatis Polonæ Comitium peroravit
Satis appositè ad persvadendum cùm persvasit.
Arcis Oycovien: ruinas sumptu non vulgari erexit.
Controversiarum inter vicinos felicissimus arbiter ac diremptor
Planum fecit quàm abhorreret à suis qui sic componeret alienas.
Pretiosus suæ Patriæ Civis
Qui rei Nummariæ viliori pondus fecit, cùm meliorem induxit.
Antiqui moris & Legum patriarum observantissimus
Eò castigatis moribus processit vt ipsas Leges correxerit
Vnam corrigere non ausus: quia & omnibus Communē & Divinam
Fatis concedens servare maluit.
Conditus ipse in Hereditario Domûs suæ Mausolæo
Cracoviæ, Templo & Coronæ D. Stephani insertus lapis pretiosus
Quiescite securi Manes!
Nec profanvs hîc nec vnus Cineres vestros tegit lapis.

ALEXANDER KORYCINSKI
Castellanus Vislicensis.

HVnc etiam Alexandrum Solus pingat Apelles sculpat Lysippus.
Minore penicillo, inferiore Cœlo transferri nequit
Viva tanti Patris Imago.
Totum virtutis similitudine exscripsisse parum ratus
Consummatæ perfectionis Archetypo invenit quod adderet
Palmares Martis vmbras
Moschovitico, Gotthico, Turcico cruore ductas.
Draconi Moscuo ære suo auctoratas obiecit Aquilas
Quæ etiam Svetici Leonis oculos inuolarent in Prusia

Ex Otho-

Othomanicæ Lunæ molirentur Ecclypsim in Valachia
Cœlestium quamvis interpositione alarum.
Post Ducalem cum Solomnecensi Ducissa Hymenæum
Martem nequaquam repudiavit;
Nec nuptiales tædæ armorum tædium attulerunt.
Vsqueadeo pacis Amicus Pater bellatorem genuit Filium
Salomon vel Augustus Alexandrum
A pacata Olea, Palmæ Surculum quis sperasset?
Nusquam tamen gratiùs dissensit ramus ab arbore.
Sudaveris ad Macedonici aspectum simulacri Orpheu!
Ad Poloni Alexandri vel memoriam
Arescit Calamus & Ingenium Oratoris
Liquido tenuitatis suæ Argumento.
Inter animi Tui & meritorum opes laudis Inops
Pænâ Tantali Cruciatur
Fortè quia Decora Tua prodidit
Quæ ex modestiæ imperio Voluisti tacita,
Sed parce: Arcana non sunt
Totus quæ novit Orbis.

NICOLAVS KORYCINSKI
Oycoviensis &c. Capitaneus.

Sub Aquila Poloniæ natus
Sub Leone Belgico adolevit
Ab vtroq; signo regium hoc accepit vt excelleret,
Et pernicitate Consilii & animi robore facilè Princeps.
In Aula Vladislai IV. Nec ad purpuræ nec ad ferri lucem conniuebat
Germanus Polonæ Aquilæ pullus.
Sub tempora Interregni Patriæ periclitanti
Auxiliarem in suis Copiis porrexit manum.
Stupuit Belgium Virtutem in Tirone Veteranam:
Ex vngve Leonem, Aquilam cognovit ex volatu:
Cùm fortitudine efferret se supra multos
Quem acclinis modestia ponebat infra omnes.
Corn. Tacit. In Annalibus, Discite Hectores Poloni
Fortissimum esse in ipso discrimine
Qui ante discrimen modestissimus est.

IOANNES KORYCINSKI
Castellanus Osviecimensis.

FEcundum illud cæteroqui Heroum seculum
Poterat adhuc Sterilitatis argui si hunc non dedisset.
Musarum ac Martis de tenero intantum amicus
Ac si non Vulcani sed KORYCINIORVM ASCIA
Minervam dedisset Studiorum Præsidem & Armorum.
Ergo patritiis erectus Insignibus
Quæ vtriq; Palladi nosset tam cognata
Neutram calcavit arenam
Quin Palma victrix prorumperet.
Sunt qui ferro vincunt in Campo
Rationibus vincuntur in Curia:
Hunc illis accenseas quibus ita promptum est
Ferri ac ingenii acie decernere vtrobiq.
Senator miræ ac innoxiæ popularitatis
Maiestatem Regum auxit & amorem,
Cùm nequicquam de Avita Libertate minuisset.
Consilia sub manu illi nascebantur, erant in manu,
Patriæ tamen voluit nonnisi optimè.
Execratus illos
Qui semper ægri aliquid esse in Republica volunt *Bini-*
Vt sit ad cuius curationem adhibeantur. *us.*
Ad vsq; sui obliuionem boni Communis memor
Orbi Polono *quietem Seculo pacem suo*
Præsentissimis moliebatur Consilijs.
Tantum in tantillis Cineribus Venerare Hospes.
Quanquam Magnorum Vel Cinis paruus esse non potest:
Grandescit in Marmora, assurgit in Obeliscos
Debita bene meritis Metamorphosi.
In agone positus, Vitæ & Famæ integer supremùm doluit
Non quòd vitam sed quòd Ecclesiæ Patriæq; obsequia poneret.
Absiste luctibus Polonia
Certi obsides solatii accepisti Filios tot & tantos,

F DEO

DEO PACIS ad ARAS
In Illustrissimis ALBERTI & PETRI Nominibus.
DEO Exercituum ad Martis Areas
In ALEXANDRO Palatino Ravensi
In NICOLAO Castellano Naklensi
In STANISLAO Pincerna Biecensi
In SAMVELE Terræ Cracoviensis Pocillatore
In MAXIMILIANO Copiarum Præfecto
Demum in fortitudine magis quàm nomine ROMANO:
Qui a Scipione Sarmatico STANISLAO KONIECPOLSKI
Triumphale fortitudinis invictæ meruit Elogium.
Intelligo iam
Heroes Fatis maiores etiam cùm abeunt ex oculis,
Patriam non relinquere penitus.
Nec Tu reliquisti Heros Inclyte dum Vixisti.
Fallor. Vivis magnus Parens
Vltra Magnum SAMVELEM
In Maximo Filio ADALBERTO
ARCHIEPISCOPO.

ALEXANDER KORYCINSKI
PALATINVS RAVENSIS
Inermes alibi Musæ
Apud Polonos ex vero armata Pallas, Mars Togatus.
Tunc demum triumphant Litteræ
Cùm Armorum præsidio muniuntur.
Triumphaliter Arma procedunt
Quæ Sapientiam Ducem habent.
Seculorum Laudem aliam accipe, præstolare aliam
ALEXANDER KORYCINKI,

Qui

Qui literario iuxta ac ferreo stilo felix
Trabalibus Nomen Tuum æternitati inscripsisti.
Suspexit in Te Curia gravem Curium, Moscua & Vkraina Camillum.
Noverit Euphormio
(Qui nos malè sanus Siluis ac Montibus
Suo Carentibus Parnasso & Musis, inclusit)
Nullum in Campis Poloniæ Virgultum felicius prouenire
Quàm Palmas & Lauros
Seu Bellatorum *Seu* Eruditorum temporibus
IN CORONAM.

NICOLAVS KORYCINSKI
Castellanus Naklensis

F*Acem a Maioribus traditam* accendisse Videri poterat — *Plato.*
Qui eam torpente manu non exstinxit.
Acer animi Nepos æmulationis Clasßico provocatus
Tot seculis centuriatam Maiorum gloriam
Elicuit audax in certamen.
Nec odiosus Victor est, qui superatos amplioribus factis
Maiores suos domestico ducit in Triumpho.
Musas ita fouit atq́, si Armis non faveret,
Adeo scitè tractavit Arma
Quasi parum gnarus Literarum.
Calamo & ferro ad miraculum.
Hic tandem Cœlo movit invidiam.
Cùm enim cogitaret ageretue immortalia,
Videri mortalis desiit.

STANISLAVS KORYCINSKI
Pincerna Biecensis.

Triumpha quotannis Te ipsa mirabilior Polonia.
Orbis de Te iudicia vicisti.

Ingeniorum ac Fortitudinis bellicæ Externa prodigia
Infra miracula pridem posita
Ad Comparationem Polonam viluerunt.
Quid ego hîc alios? vbi dictis fidem adstruit
NICOLAVS KORYCINSKI.
Etiam hodie manet controversum
Toga humeros eius ornârit aptiùs
An Sagum armaverit?
Domi ad vsum, foris ad gloriam
Vtrobique ad naturam.
Si tua de Stilicone claudicavit veritas,
Rectiùs de KORYCINIORVM Domo dixeris Claudiane,
Claud. - - - *Quæ diuisa beatos*
Efficiunt, collecta tenes.

SAMVEL KORYCINSKI
Pocillator Cracoviensis.

Claudian. ADes Illustrissimo Polluci Tuo Castor vnice
In quo veteris vestigia recti
Et ductos video mores meliore Metallo.
Abesse ab Illustrissimi Fratris pompa quî potes?
Hæc etiam Tua Sparta est.
Par vt ornes illam, ornandus ab eadem.
Felix dispendium, quod redit cvm fenore.
A publica toties Legatum, Iudicem, Commissarium
Ad lucem domesticam invito.
Seneca. *In alienam Virtutem nemo vixerit.*
Vivit in virtutis præmium & gloriam.
Non alienæ incumbis Famæ SAMVEL
Dum ad Asciam Cruce Archipræsulea Illustrem
Tua vertis lumina.
FRATERNVM EST
Gloria & Anima spirare in vna.

STE

STEPHANVS KORYCINSKI
Regni Poloniæ Cancellarius.

Huc Oratorum Calami.
Nulli vos æquiùs impenderitis
Quàm magno Poloniæ Cancellario.
Operosiùs nulli præ illo
Qui Regni Calamum tractavit ad miraculum.
Magnum est in comparationem venire cum magnis
Hic summos æquauit.
Non inferior singulis. par vniversis.
Pauper es Thesaure Comes *Auct. lib.*
Si dicto tuo aut veniam comitem non habeas aut gratiam.
Periculosa *aŭ* res est eminere
Sed non Magnis,
Qui apparere nequeunt quin emineant.
Adimunt consilium res aduersæ, *Tacit.*
IOANNES CASIMIRVS REX
Colluctante suis cum fatis Patria
Regni Cancellarium asumpsit,
Vt Virum ostenderet;
Cui reflante fortvna consiliorum vela suppeterent,
Nec tot aduersorum turbinibus implicarentur.
Principum Terrarumve Legati vt fuerint Pericles,
De illo tamen æquiùs dixissent
(Quod Demosthenes de Photione in Senatum veniente)
Sermonum meorum Securis adest.
Tam aptè vtilia disponebat, resecabat nociva,
Scires non immerito ASCIA Insignem.
- - - *Oracula Regis* *Claud.*
Eloquio crevere Tuo.

 Magne

Magne Regni Pol: Cancellarie.
Cuius effata auctoritatem habebant Oraculi,
Nisi quòd, vt eras Numen humanius,
Præstolari ea diutiùs non opporteret.
Post salubria semper data Patriæ Consilia
Optimorum Civium morbo laborans
Hoc est flagrantissimo boni publici studio confectus,
Cùm turbaretur Polonia, æternùm quievit.
Nempe ægram diutiùs videre non passus
Mori maluit.
Hoc nimirum est sentire mala Patriæ
Vt vel solo eius morbo succumbas.

PETRVS KORYCINSKI
Rabstinensis &c. Capitaneus.

Reptaverit per scuta puer HONORIVS,
Tu Patre Cancellario prognatus
Cum per Regni Ceras reptasti,
Nihil de Te humile Parentis animo impressisti.
Inter Aquilas enutritus,
Non invides Alexandro Macedoni
Cui sub Iove libero Iovis Ales collusit;
Haud absq; risu vel indignatione, læsæ veritatis Historicæ.
Serium Tibi Lechicis cum Aquilis contubernium.
Quas in munere & manibus Patris
Ita coniector nobilis observabas,
Vt intelligeres evolandum Tibi in sublime aliquando.
Nec Tua serpebat vnquam indoles & facundia.
Missus ad Provincias & Senatum Orator
Pœne prætextatus, Auditores trabeatos

Ab Ore Tuo suspensos admiratione tenuisti.
Flexanimam non moves linguam
Sine triumpho aurium & animorum.
Inter Lilia nuper degens Parisiis,
Quantumlibet cum illo (cuius mihi notior Svada quàm nomen)
Liliis enutritus videare Rosas loqueris
Latè diffuso odore bonæ Famæ.
Sentit hunc Roma quæ Te non remittit Poloniæ Mutat Statũ Romæ
Donec fias Amicus Patriæ vsq; ad ARAS.

NICOLAVS KORYCINSKI
Oycoviensis &c. Capitaneus.

QVi gloriosè non vnum mutaveris CÆlum,
Audio lubens Tuum de Patria iudicium.
Non est (ais) quod Rheno aut Sequanæ invideat Vistula.
Quibus vt tributum affudit nunquam
Accepit fortè aliquando,
Ita pari gloria in æternitatis Ostia influit.
Ascræos fontes Musæ regustant
In Istula Polono.
Nec inimicam eis auram dixeris:
Quá tam liberaliter viuunt
Vt iam alibi hospites videantur,
Apud Polonos inquilinæ,
Hîc demum se non pedestrem sed in Solio suspicit
Animorum Regina Eloquentia.
Implevimus Orbis Bibliothecas monumentis
Campos barbarorum cædibus & victorijs; Orbem famâ.
Ita est. Oraculum ueneror.
Ast modestiæ Tuæ pace dixero

Quicunque Orbis Te Magni Cancellarii Filium vidit, audiuit:
Illico conclusit apud se
Vel Latium in Lechiam vel hanc in Latium abiisse.

BOGVSLAVS KORYCINSKI
Dapifer Cracoviensis.

Poloniæ Campum delegisse videntur fata,
In quo & Apollinis Pegasus & pugnator Alexandri Bucephalus excurreret.
Montibus alios aut inaccessis rupibus Natura cinxit
Liberam Polonorum Gentem in diffusis passim Campis collocauit
Quò faciliùs Nomen suum in Orbem extenderet.
Nec steriles dicas vnde copiosa palmarum Messis legitur.
Literarum Armorumq; cultura accedente
Tellus nulla non fecunda.
Haud difficilè in manibus palmæ,
Laureæ in Capitibus nostris efflorescunt:
Quando illæ sup. & hostium cruore, hæ doctis sudoribus irrigantur.
Hoc vt Polonum sic Tuum est Boguslae.
Probavit indolem Tuam Minervæ ac Bellonæ campus,
Dilaudavit Comitiorum provincialium corona.
Applausit Nuntio Terrarum,
Sacrum illud Legatorum Domicilium,
Cortina Delphica,
LAR POLONÆ LIBERTATIS.
Absolvis omnia, tanquam singula.
Magnos id est sanguine Tuo dignos actus in Lechiæ theatro dedisti,
Maiores & accipimus & speramus.
Illa nimirum heroæ mentis dos est
In gloriæ ac meritorum procursu non consistere.
Si Tuum genium novi bene
In Patriæ obsequiis vno modo fatigari posses
Dum cessares.

SVbsiste audax nimiùm calame, qui Icareo planè (ausu nisi quòd extra fabulas) ad singulos & singulares Magnæ Domus Heroas euadere contendis. Nec tuæ facultatis est recensere omnes, nec illi pagellæ vnius angustiis arctari possunt, qui cælo tantùm capi omnes queant, æternitate numerari. Nemo igitur se prætermissum miretur, nemo succenseat: quando ex Superiorum etiam seculorum memoria ad nostram præsentem multos prudens non adduxi, plurimos illaudatos, solo Magnorum stilo Veneratus sum Silentio, ne quis Historicum eorum censum à me expectaret. Negligentiore oculi iactu & ab Maiestate Imaginum confusi Domus Vestræ Palatium obiisse satis fuit non Novo præsertim nec omnino Hospiti Oratori, imò si ad Te Archipræsul porrigam animum plus quàm satis. Sed *habet hoc solicitudo quòd omnia necessaria putet.* Plinius. Non è fortunæ Senatu ac sola generis amplitudine honoris suffragium accepisti, cui præsto semper aderant in quorum ipse gloriam sudaveris, Virtutum merita auctoramenta Dignitatum. Confugiant (inquiebas) ad Maiorum Ceras, minores Posteri qui nihil insigne patrarunt, nihil tale in Rem publicam cogitarunt, quod æternitas signatoriâ gēmâ iure merito consignaret memoriâ immortali. Quærant in Laureatis Atavorū Vmbris, ignaviæ suæ latebrā desides, futuri etiā infeliciores postquam invenerint: Foris genere clari, Domi factis obscuri, qui è Parentum Cineribus flāmmam foventibus & Famam, fumum veriùs quàm ignem excitarunt lacrymas bonis omnibus expressurū. Mihi parum est, accepisse magnum genus, venisse in non Minorem Maiorum lucem, merita eorum in cunis occupasse maxima, nisi meis auctiora reddam, nisi in omnia quæ summa in me derivat sanguis, propria & laborata mihi influam magnitudine. Ita Tu tecum ipse ad Tuorum Manes respectans, & Imagines disceptabas, hæc assidua volutabas cogitatione & æmulo nisu ad paria inprimis, tum maiora etiam facinora Vrgebas Novus Theopompus animum sua sponte ad laudabilia procurrentem. Hoc in Te Princeps illud Musarum Domicilium Calissii, hoc Regium Societatis IESV Collegium Cracoviæ non sine magnis & Te dignis ominibus recognovit, suspexit, adamavit, per quorum Tu erudita Atria, ad Sapientiæ Regiam faustis auibus quia Regali Aquila evasisti. Præeligebas Alitem Polonam (à qua *Panem & Fulmina* Orbis accipit) Noctuis Athenarum. Quanquam & Solem variū lustrasti peregrinus Magnusq; Hospes non adscititiæ lucis egens vt illustrior esses, sed vt palam faceres, Polonos dum peregrinas calcant terras, antiquam inculcare Orbi veritatem: nempè sui Cæli Sidera rectè ac laudabiliter à patrio Orbe interdum exerrantia non mendicare lucem ab Italo Germano Gallo vel Hispano Sole, verùm nativam secum circumferre, impressa ab Atavis gloriæ vestigia studiosiùs quærere, ob-

 servare

servare, venerari, nec priùs inde referre pedem, quàm comparibus admirationi Exterorum relictis. Fateare (vt ingenuum es Belgium) quoties in Polonæ Aquilæ pullis eò convolantibus, ex vngue Leones cognovisti? Quoties Liliati Galliarum Campi Flore Polono refloruistis? Producerem illos longa serie, sed à Tua Celsitudine discedere iam nec lubet nec vacat. Ivisti novis & quotidianis gloriæ passibus hoc est consvetâ Polonis viâ apud Exteros: stupuêre ad quascunq, Nationes diverteras, veriorem in Te Prometheum, qui alienas terras Cæli Sarmatici lumine non invitâ Patriâ rapto liberaliter collustraret, atq, nihil mediocre de Tua magnitudine non vani augures diuinabant. Cùm ecce uix redux in Patriam peraugusto Cracovien: Canonicorum Collegio, illi inquam Episcoporum Seminario adlectus es, cælestium Tabularum Fatis Infulam Tuo Capiti iam tum molientibus. Obtulissent statim quam vel sola Maiorum Tuorum merita, & palmaris virtus certatim Tibi properabant, sed placuit morem gerere Tuo vel suo in Te genio, non alienorum adminiculo passuum ad Honoris culmen semper enitenti. O quis ille Tuus agendi vigor experrectus? (iuuat enim Tecum in Curiam perennem curarum sedem descendere) Quæ irrequieti laboris pertinacia? cùm Regni Cancellariæ Moderator, regeres omnia gereresq, ex decoro, omnia ex Fama Principis, emolumento Publicæ rei maximo, ostentatione nulla. Excepisti mox graviorem Curiæ molem, sed indeflexa cervice, ad Secretioris Regiæ & intimiorum Reipublicæ Curarum adyta a Serenissimo Rege invitatus, dictusq, Magnus Regni Secretarius. Onus hoc inter laboriosissima reponût Politici, Tu vix sensisti. Ipsum Principis nutum renutum prævertebas, occurrebas arduis cogitationibus, Tuum illius Voto non raro coniungebas implebasq, priùs quàm audires: proinde mentem Tuam solis Regij pectoris cogitatibus imbuisse credebaris. Hinc Tu alta de Te Principis Iudicia occupare; æstimationem Tui quotidiebus intendere, meditata & digna Rege dare responsa, prensari a multis, probari ab omnibus; cùm ex prisca & Illustrissimo Parenti Tuo ingenita sinceritate omnia, nihil per simulationem ageres. Quæ Virtus hodie apud plerosq, malè audit, deteriùs intelligitur, *putaturq, Prudentia sub Persona occurrere.* Non ita Tu Aulam noveras, *vt plus in frontem traheres quàm esset in recessu.* Non verbis ad benevolentiæ fabulam abusus unquã, non vultu ad scenam composito lusisti amicitias, illorum fugitans quorum vita plus de Arte habet quàm de Natura. Prodigio par in Te fuit illa vultum inter & animum harmonia, quando serena (quam Candor ipse finxerat) frontis severitate, modestissima gravitate; & sicut non solicitè quæsita, adductaq, sic minimè suspecta humanitate, idem semper apparebas, idem omnibus Tuam exposcentibus operam occursabas: porrectos supplicantium

Rinoc Fam: Strad.

cantium

cantiū Libellos Tuis ipse manibus dignabaris, humescentibus evolvebas oculis, non passus vnquam tristem a Tuo Conspectu abire necessitatem. Sive autem profundam Regis mentem præstolantibus aperires, sive quidpiam loquereris animus respondebat, idemq́, fuit Oris qui & Cordis stilus, nullo prorsus hæc inter dissidio. Suspiciant in Te multi plurima, ego vnicum demirari satis non possum. In turbido Regni statu, in tanto negotiorum Curialium accessu & recessu qvasi turbati Maris æstu, pæne ignoratis quiescendi intervallis, desudabas pro bono Patriæ, inter salva ac integra pacatæ semper mentis Halcyonia. Non deerant qui in illa communi procella quam Aquilonaris Æoli turbo excitaverat, *omnem* (quæcumq́, offerretur) *Stationem pro portu arriperent in fuga tempestatis*, obversâ puppi littus peterent, legerent, & in ipso littore magis fluctuarent, confunderentur, naufragium spei melioris facerent. Tui pectoris inconcussa fortitudo, difficultatum ingruentium scopulus fuit elato inter decumanos fluctus vertice immotus. *Quanti montes aquarum* devolvebantur in Caput Tuum vt illius allisu fracti in guttas arenis minores dispergerentur. Tangi publica tempestate cōmune Tibi erat cum tot aliis: non concuti, non involvi procellâ, non absorberi, Tibi in paucis singulare qui temporibus iniquissimis meliora animo præcipiebas, Auitæq́, SECVRIS Ferrum, pro Palæstino flumine, Vandalo nostro *Scuta Virum* inanè fluctuantia truncosq́, Gotthorum artus volventi (cùm plumâ leviores fluctibus sorberentur) gloriosissimè innatabat. Prolixum esset ne dicam infinitum per omnia Meritorum tuorum vestigia fessam deducere Orationem, quæ Tu alia ex aliis minora grandioribus obruens; in serò venturam posteritatem duratura impressisti: quasi verò & priora non sint magna, quæ postmodum non nisi magni Successores nec sine conatu impleverint. Sola Te admiratione sequor ad Provinciarum Terrarumq́, Conventus laudabiliter excurrentem, Regum numine Commissa negotia dexterrimè pertractantem, in generalibus Regni Comitijs Magnum Senatorem, nec *rariorem* in Senatu, *quod initium esse consuevit paulatim desinendi*. Enimverò ad dissolvendos Gordijs intricatiores Reipublicæ nodos, non optavit vnquam Polonia gladium Macedonici, dum ASCIA KORYCINSCIORVM suppeteret: cui acclinatis Permessi iugis lætior Apollo gratos inter Musarum concentus accinit

Strada.

Virg.

Plinius.

IMmista Regum Fascibus ASCIA
Et Lydiorum gloria Principum
Cantata terris, & Polone
Digna diu radiare Cælo.
Inter vetustæ Stemmata Lechiæ
Tu prima fulges. Te Pater Istula
Per vasta Nerêi regna claram
Et trepidas Aquilone Lymphas
Lato refusus margine, Balthico
Transmisit olim: non sine consono
Plausu procellarum & triumphis
Æoliæ. Vagus in profundo
Lusisse Triton dicitur: horridæ
Risere Cautes verticibus suis
Læta videri, quas Tridente
Attonitâ patefecit vndâ
Neptunus Æui grandior. ASCIAM
Sirenes alto Carmine protinus
Dixère blandæ, dixit Auster
Et vitrei Vaga turba Ponti
Legatus qui supra *QVando remotam magnus Iberiam*
Implevit hospes CHRISTOPHORVS, *sui*
Regisq; Nestor, ac Poloni
Mercurius Cyneasq; Regni:
Aut Galliarum littora viseret
Natus Paternæ tramite gloriæ
Vbiq; felix. Hunc fideli
Per Populos comitata gressu
Fortuna, Thuscis extulit Alpibus
Claro reclinem Nubis in essedo,
Hunc Roma, pronis & Latini
Verticibus coluère Montes.
Audiuit ingens Carpathus. æmula
Respondit Echo: Nobilis ASCIA
Augusta KORYCINIORVM
Et patrij Cynosura Cœli
Huc concitatis depropera bigis:
Fulsisse Mundo sit satis Extero,
Orant Quirites, & Senatus
Sollicitis iubet ire votis.

Ergo

Ergo coruscis vecta iugalibus
Venit, secundos lætus Honor Comes
Dat ponè gressus. KORYCINI
Fama præit prodromiq́ plausus.
Io triumphe; iam pretiosior
Auri Metallo iam reddit ASCIA
Cuius, Polonæ fixa stabunt
Præsidiis, monumenta Famæ.

LAboravit hactenus emerita Celsitudinis Tuæ ASCIA Nomini Polono & securitati in maius provehendæ, atq́, vtinam in annos laboret seculares: ædificabat Sarmatiæ, Romanis æmula PACIS TEMPLA: pervetustā restaurabat an erigebat lapsam Ædem CONCORDIÆ, manum ei supremam per Tuas manus Deo Auspice allatura. Vidimus hæc omnia Regalis benevolentiæ testimonijs comprobata; Serenissimi inprimis CASIMIRI cui assidua bellornm tractatione Sceptrum in clauam abierat, Martialis Campus in Curiam, Tentori in Palatium Principale. Videri omnino poterat Rex Invictissimus Thronū Regium in bellatore equo collocasse dum sago militari rubicundiorem ab hostili sangvine induxit purpuram. Coronatus semel Princeps semper Galeatus. si fortuna eius fortitudini respondisset. Qui tandem ad augendum magnitudinis suæ fastigium cùm superesse videret nihil, Coronam pro basi substituit. Hoc Tu Principe variis primùm Aulæ muneribus cumulatus ad Camenecenses Infulas provectus es, pari sensu pari de Te iudicio Serenissimi ac Potentissimi MICHAELIS. An enim properantem licèt calamum effugias Regum post Reges Poloniæ natos desideratissime, qui corda remotissimarum Gentium Nomen Tuum fractis etiam peregrinæ infantiæ vocibus deprædieari gestientium, & amores Europæ incurristi. Continuat admirationem totius Orbis & auget in dies ELECTORALIS ille Divæ LIBERTATIS CAMPVS, in quo bene iam Poloniæ volentibus Superis, Cælo submissus Princeps crederis, cùm aliis pluribus argumentis, tum vel maximè quòd divisa Procerum Quiritumve studia, & in diversos inclinatas tractasq́, Voluntates momento planè conciliaveris. Sermo iste prolixiùs currit quàm Tuæ Maiestatis steterit Electio. Commendat Te mora ipsa antecedens, quam abrupisses Princeps, si primis statim Electionis auspicatissimæ diebus acclamatum Nomen Tuum in Electorum aures influxisset, quod iam in animos omnium & vota (solis Cælitibus non Cælis aut Astris etiam Tuis quidquā in Electores agentibus) arcanè influxerat: quando optimum, Divis simillimum, Deo Cæloq́ probatum singuli precabantur. Differri ta-

men clarissimum pro Maiestate *Tua* Cæli suffragium tantisper placuit, quominus Divino pressum arcano evolveretur. vt post Candidatam Exterorum Principum Fortunam maior esset gustus domesticæ felicitatis Te Electo. Tu inauditæ retro frequentiæ Comitia exitu (quo melior ne voto quidem concipi potuit) vnus Coronasti, Te Regali Diademate Sarmatia vniversa. Quota hæc felicitatis Tuæ, imò nostræ vel ideo quia Tuæ, pars est Rex fortunatissime, qui DEVM habueris Electorem. Reverebuntur Numen Tui Nominis circum-
1. Ma- positæ Gentes, silebit (me quidem minorum licèt gentium vate) *sile-*
chab. *bit* inquam *in conspectu Tuo* Alexander Polone *omnis terra*, quem per tot
1. prodigia, per Ambrosios pro Corona tibi decernenda Apum Oratores, per auspicata nuntiarum pacis ostenta columbarum, Cælum dedit Polonis Regem, Europæ in Christianitatis Antemurali Protectorem, quatenus L V N Æ Regalis opposito Othomanicam vincas extinguas. Omen Victoriarum & felicitatis non est quod aut quæram solicitè aut petam à longe. Cruces quæ Tuum illustrant Astrum trophæa sunt. Debemus Tibi Rex optatæ pacis tempora, quam per bellorum pertinaciam vix iam de uoce noveramus, nunc verò ab fortunatissima Electione Tua dulcedinem eius regustamus. Debemus tot admota Curulibus Senatoriis in pace Decora in bello Præsidia. Debemus quamuis sua virtute priùs tiarata Antistitum Capita sed inter hæc A L B E R-T V M K O R Y C I N I V M quem Leoni Roxolano Pastorem dedisti Archiepiscopum. Non temero desacratam *Tibi* paginam Archipræsul Illustrissime sed magis consecro dum augustis Regum Nominibus insignio & Sacra impleo Maiestate. Attollit magnitudinem Tuam, amplificat laudes, concors tantorum Regum de Te iudicium. Potentissimus Princeps C A S I M I R V S ad implendas Camenecenses Infulas Te provexit, Serenissimus M I C H A E L dixit Archipræsulem. An verò sine Divorum Indigetum Comitio stetit, vt in augusto Craci Domicilio, primis ab auspicatissima Principis Electione Comitijs grandiores Tibi decernerentur Infulæ? ille certè dies honoris Tui natalis extitit, qui & publicam peperit felicitatem: Ille qui vota Poloniæ, Populorum gaudia, vicinorum Principum adeoq, Orbis vniversi iudicia in M I C H A E L E Serenissimo coronavit. Nimirum constare debuit Sarmatiæ, Tuum bonum a Communi haud separari: multumq́, interesse omnium, si vnus euadas in sublime, quo meliùs ceu è specula Reipublicæ prospicias. Provideràt Tibi magnorum semper ferax Virorum Polonia, ut complures Virtutis æmulos, ita nec pauciores Dignitatis Competitores: ad *Tuam* enim pertinebat gloriam, habere tales ac tantos quos superares. Felicitati nostræ acceptum referimus Poloni, quòd plures Infulis dignos quàm Infulas numeremus:

meremus: plures Senatorijs pares Magistratibus, quàm Magistratus & Subsellia, plures deniq; Belli, Sacrata inter Gradivo Marti pectora, idoneos Clavis Imperatores quàm Clavas, non pænitendo sanè defectu habeamus. Metire (si per modestiam potes) magnitudinem Tuam Illustrissime Domine. Vnus ante alios videbaris, in quo Potentissimus MICHAEL Archipræsuleæ Mitræ pondus reclinaret: cui tametsi graves meritis, pares tamen humeros adferebas: quin vel ex inde fortiores vnde attritos, parum æquus rerum æstimator quispiam iudicaret. Accepisti ergo Honorem inter multos, inter dignos, quos vt gloriosum sic difficilè fuit superare. Prælatus es tot Purpuratis Lechiæ Patribus nullâ vllius iniuriâ, Virtutis Tuæ gloria singulari. Interim verò decretus Tibi Honor iusta per omnes dispensabat gaudia, cùm Tu in celeberrimo illo Poloni Orbis Theatro voce Principis voto omnium appellatus Archiepiscopus, dignationi Regiæ ac Honori Tuo (quem non expectares) assurgens: gratiam publicè habuisti; deprecaturus Provinciam, nisi peræquum iudicasses, illius cedere voluntati, qui & ipse *Meruit regnare rogatus*. Non leve meritis suis Auctarium adiecit, quisquis vt modestiæ suæ faveret, votis omnium ac desiderijs in acceptando honore obluctari tandem noluit. Alii dignitatem meruerunt ante quam accepissent, Tu & dum admittis acceptatione ipsa mereris, adeoq; obligaris Patriæ simul & Patriam obligas in exsolutione præmij de nouo præmio cogitantem Quodsi pulchrum est videri dignum, in cuius sinu princeps & Patria Honores quosuis tutò collocare possit; Pulchrius vt etiam velit: longe pulcherrimum vt certatim offerat, vt pæne cogat, aut saltem roget honoris Candidatum pro Honore, inter Candidatos modesto contemptu abeunte. Et hoc KORYCINSCIVM est. TVVM est Illustrissime ac Reverendissime Archipræsul. Adiice hanc etiam Tuis in Commune promeritis gratiam, vt oblatum munus non excuses. Superbiat tantillùm & Tuo Culmine efferatur Honor a Te non repulsus. Triumphet quia victor modestiæ Tuæ, quam non facilè superasset nisi in *Cruciis* Archipræsuleæ *Signo* pugnasset (quis enim palmare hoc signum extulit & non vicit) nostra verò anhela desideria ab expectationis labore tandem conquiescant. Vide Archiantistes Optatissime quis noster in Te animus sit? quæ obsequentissimæ voluntatis non propensio sed volatus quidam! Præsentem Te habemus & ad huc desideramus, Vultibus Tuis fruimur & exspectamus adhuc; nondum explemur non satiamur, haud inani ambiguo suspensi, animis an oculis nostrûm, insinueris? Ita licèt vtriq; pariter obversaris, in vtrumq; influxisti æqualiter, nihilominus apud animum boni possessi gaudio gestientem fides ipsa laborat oculorum; & reciproca vicissitudine apud oculos animus uapulat pari

 lat pari

lat pari causa. Vtcunq, est seu absens desiderio seu præsens obtutibus & expletis sed necdum sibi pro more suo credentibus votis: Ingredere auspicatò Tuam & Leonis invicti Sedem. Hic ille est à Conditoris sui ut Nomine sic fortitudine non degener LEO, Draconis Moschovitici spolio modestè superbus, quem innumerabili Cosacorũ numero, maiore astu firmatum in obsidione auctumq, constanter sustinuit, repulit fortiter bene diminutum. Hic ille Leo, qui plures Sueticos vnus non expauit, & cum ipso pæne illorum aspectu aut longinquo rugitu exanimarentur cæteri, maiores ab ipsa periculorum vicinia sumpsit animos. Movebat contra Carolus Gustauus pridem famelicâ & tot quas deglutierat Provincijs non satiata ambitione. Iam attigerat Mageroviam, maioribus quàm pro voto elatus successibus, cui supra imaginariam Timothei felicitatem, non dormituriens sed bene an malè vigil fortuna, Vrbes & Arces liberas cogebat sine armis. Et cùm Leopolim in paucis reliquam, spe an præsumptione, victoribus non insolenti, devorasset; postremò nec oculis libauit. Abscessit nihilominus non sine palma, quia palmarem retulit ignominiam, facta Vrbi maiore reverentia e longinquo. Huius Tu prolixioribus expetite votis exspectateq, Archipræsul, Latinam Græcos inter subintra Portam. Succede pectoribus magis quàm tectis passu fortunato, Pastor indulgentissime. Animorum victori Corda flectimus in Arcus Triumphales. Sed qui votorum planè Aura nostrorum anhelisq, omnium desiderijs attractus vel advectus es, in animis nostris hospitare; Leones pro Ovibus habiturus, in quibus tamen Ovium mansuetudinem non desideraveris. Tu pro illis, illi pro Te vigiles excubabunt: quorum vnum omnium votum est, Tua Vita & sospitas in annos seculares. Si queri miseris etiam in Cælum licet, audiat! & hanc vel obiectæ vel non abruptæ moræ luat pænam, vt serò Te repetat, Tuis vultibus gaudeat, quod Tuam nobis præsentiam serò dedit. Sic e Voto publico prospera omnia Tibi ac per Te nobis evenient. Sic quoslibet minitantium Fatorum ictus retundet e facili

ASCIA TVA ORNATVS

ARMATVSq;

LEO ROXOLANVS.